

Ass. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

v63.

VITEBERG.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Hunc librum
exifico privato com,
pingendum curavit
Ferd. Wendler. Ao
1770. m. Sept. h. t.
Bibliotheca cat.

ER

CUPRESSUS VITIFERA
SEMPER VIRENS,
HOC EST

JESUS CRU-
CIFIXUS,
INFINITIS MERITORUM BO-
TRIS ABUNDANS,
EX QVA, HAS

CENTENARIAS PRIMITIAS,
*INTER TRISTIA LÆTUS LITERA-
RIUS VINDEMIATOR, DEVOTA PO-
TIUS QVAM POETICA
MANU,*

VINEA DEI INVARIIS CALAMITATIBVS VIRENTE,
decerpfit

GABRIEL SCULTETI,
Hungarus.

ANNO M. DC. LXXVIII.



CIPRESSUS VITIFERA
SANTUS VIRENS
HOC EST

LESUS CRU-
CIFIXUS

INFINITIS MERITORUM BO-
NIS ABUNDANS
EX OVA HAS

CERTENARIAS PRIMITAS
INTER TRISTIA LACRIMATA
RINUS INDEMINATOR, DENO-
TANS QUONIAM POTTICA
MAYN

Vires Dicitur Variis Celsitatibus Vires

GABRIEL SCHEFFER
LINDISBURG

ANNO M. DC. LXXVII



כַּעֲרֵי

DECLARATIO TITULI.

Vinea, Scripturis Pugnans Ecclesia vera,
Dicitur; hic Vitis JESUS, & Uva cruor.
Vinô Corporeas vires, sed Sangvine CHR-
STI

Exhilares Animam, Sorte premente, Tuam.
Primitias ideò Centenas dicere malo:
Magnus Müllerus pondera, Metra ego do.
Inventor rerum Tempus, sua pensa laborum
Dividit in Terris, perstet ut ordo Poli.
Floriferum Ver fulcat agros, nova concoqvit Æstas
Fruges, Auctumnus colligit, abdit Hiems.
Arma tenet miles, Venator retia, remos
Nauta, opifex versat quilibet Artis opus.
Res Sapiens pensat; Medicus de corpore morbos;
Legifer & mores pellit ab Urbe malos.
Sic quod agunt plures, atas quod singula sæpè
Novimus: obliti quod meminisse juvat
Omnes Christicolas semper. *Mihi Christe benigne*
Da, sim quæso Tuæ Mortis ubiq; memor!
Vinitor intereà viduatâ vite flagellum
Amputet, incertus spes alat ipse suas.
Suavius ast reficit me tristens Vitis JESUS,
In Cruce purpureo grata liquore tumens.
Sedulus ut valeam decis decerpere denos
Botros, continuo *Flaminis Aura fave!*

I. TORRENS KEDRON.

Christus Torrentem niveis sæpè imbribus auctum
Transiit. Hunc Cedris inscia turba tegit.
Montes Cedrus amat. Nam Cedron, dictus Ebræis
Sordibus, umbrosis arboribusq; niger.

Hoc monito cauti votis properemus Olympum:
Torrentem Mundi sic superare datur.

2. VILLA GETHSEMANI.

Ut subiit Villam (nam fingitur Hortus ab Urbe
Octavus) quam pes Montis Oliviferi
Sustinet, & cui *Torcularia pingvia*, nomen
Fecerunt, Olei, protinus ecce subit:
En Torcular ego solus calcabo repletum!
Pingvia nos inter, macra timere docet.

3. LUCTA CHRISTI PATIENTIS.

Hortus amœna quies, factus *gemebunda Palaestra*,
Athletam Christum, nox videt atra simul.
Ille tribus vicibus, *Verbo devicerit* etsi
Plutonem, tamen est tristis ad usq; mori.
Grandior est Animæ, quam cæsi corporis æstus:
Hunc emplastra; *illum tollere nemo potest.*

4. ORATIO CHRISTI LUCTANTIS.

Abba Pater, quæso declinem hæc Pocula mortis.
Velle Tuum posse est: *Supplico Vermis, Homo.*
Gratia mille modos habet, Omnipotentia mille,
Quæis lapso generi Jura redire queant!
Nunc *distincta* quidem, sed non *contraria* posco:
Quæ DEUS opto mori; langveo Verus Homo.
Non mea, non Hominis, fiat Tua Sancta Voluntas:
Sic orare Tuos langvide Christe doces.

5. SUDOR SANGVINEUS.

Jactent Melampus vel Podalirius,
Sudasse quondam corpora Sangvinem,
Quæ abdominis læsi dolores,
Aut jecoris vitium gravabant.
Sed talè, nostræ non vitiat, malum,
Fontem salutis. Guttula Sangvinis
Diffusior laxo meatu

Corporis

Corporis ac veluti canali
Rupto, fluebat salvificus cruor.
Peccata nostra, & Plaga DEI gravis,
Sævi Draconis cœpta lucta,
Sanguineum laticem ciebant.

6. ANGELUS CONSOLATOR.

Perpetuus Christi (stat conjectura) Minister
Angelus est, *Gabriel*, robore nomen habens,
Luctantem Dominum (decreto stante) restaurat,
Mœstitiâ mutâ, corde dolente, prece.
Sancte DEUS, nobis Cœlô solatia mittas
Quando precamur item. *Sic mala nulla nocent.*

7. SOMNUS APOSTOLORUM.

Nox tenebrosa quidem, mortis prædictio, Cœna,
In somnum facilem sternere membra valent.
Sed nil ista juvant: assensum quippè Voluntas
Subtrahat. Oret, Te Christe precante, vigil.

8. OSCULUM PRODITORIS.

Advolat infandus turmis comitatus Jüdas
In Christi faciem *dira venena parans.*
Ne tamen in tenebris fallat Persona sodales,
Et tuto lateat Proditor, ecce dolum!
Tessera, communi capitur de more Orientis,
Osculum; Ave falsum, chare Magister, ait.
Hebdomas, hinc veterum non viderat oscula, ma-
Ambitio aut hodiè *basiat* ipsa pedes. (gna.)

9. PRODITOR AMICUS.

Prodidit! & scelus hoc, titulo dignaris Amici?
Nempè scelus noscat, gratia pansa datur.
Semper Amicitiaë reparatæ fœdera Cœlum
Servat: Turba licet vos reseceat ea
Pagina Sacra vocat (notat hoc Adamantius Autor)
Semper Amicum, quem vult meliora seqvi.

10. GLADIUS PETRI.

Pellere vim vi Jura finunt, occasio quando.

Causa fuga, vel opis, vel bona causa regit.

Grande nefas armis missos violare ministros:

Et vindicta DEI grandis utrosq; manet.

Qui gladium capiunt pereant malè acinace digni.

Non vocem *Facti*, *Juris* at esse puta.

Negligo defendi Lictoris Vulnere Malchi:

Cunctorum sano, vulnere vulnera ego.

11. LEGIONES ANGELICÆ.

Si foret *hic armis* res, Petre, gerenda cruentis,

Terga daret subito confociata cohors.

Quin vel Romanus fulgens Exercitus instent,

Quem totum Legio nunc duodena facit.

Quàmprimùm ancipitem gladium vibret Angelus.

Affyriæ veluti turma superba cadent. (unus,

Millia, quos sternent, Heroum plus duodena?

Sed Decreta DEUS nec revocare potest.

12. JUVENIS SINDONE VELATUS.

Cur Juvenes Juvenem, Cataphracti prèndere nu-

Natorum est neuter credite Zebedei. (dum?

Discipuli fugiunt omnes! hic fortè resurgens:

Lectò, quis, strepitum discere, latro movet.

Villicus est, Tyriâ demonstrat Sindone tectus.

Felix contemnens omnia amore DEI.

13. CAIPHAS PONTIFEX.

Pontificis summi Caiphas nunc Munere turget:

Cur Annæ Jesus traditur ergò prius?

Vel quia *mercedem* Judæ persolvit Avaro;

Aulaq; lictori primò *adeunda* foret.

Imò Gener Caiphæ, quina quoq; prole decorus

Pontificum, tantò dignus honore fuit.

Pontifice immundo, quandoq; *Vicarius* Annas,

M unus obibat. Non præfuit ille tamen.

14. JESUS CONFESSOR.

Ecce furens *rogat*, *surgit* de sede Sacerdos,

Judicii *oblitus*; Filius *esne* DEI?

Dicam, non credent, precibus *dimissio nulla*.

Urget, & obsecrat, Filius *esne* DEI?

Tu dixisti: Christus ait, *rem vera fateris*.

Non *Ironica* enim, aut verba *superba* putes.

Natum Hominis, Daniel me nominat ore Prophe-

Qvòd Mediatoris nomine fungar ego. (ta)

Judicis inde boni, cum Majestate *supremâ*,

Functurus, Mundi machina *qvandò* ruet.

15. SCISSIO VESTIUM.

Qvid laceras Vestes *Zeli simulator* inique?

Mos Oriente *freqvens* exulet hocce loco.

Mentio nulla necis, luctus, blasphemia nulla

Auditur, *qvare rumpere* stando paras

Parte *imâ* tunicam? Cur *cætera turba* *suprema*?

Sic mos fert, nec Ephod Corpora nostra tegit.

16. ILLUSIO PATIENTIS.

Qualibet in Jesum, nullo prohibente, Caterva

Expuit, id clamans *promeruisse* reum.

Militis utq; magis *petulantia* *fervida* crescat,

Velatur facies *diripiturq;* decor.

Alternis manibus *depalmant* summa genarum:

Dic *cujus Colaphis* false Propheta tumes?

Illusus triplici (*dolor eheu!*) *scommate*, Christus,

Ferre monee pro se nos *patienter onus*.

17. ABNEGATIO PETRI.

Æquivocum Petrum defendit frustra Patronus:

Christum, non Hominem pernegat ille tribus.

Non tamen is placido timidus *maledixit* Jësu,

Aut se *devovit*, ceu mala lingua solet.

Abnegat, & jurat, repetens, *Anathema futurus*
(Significat Phrasis) *sim*; Synagogâ abeam.
En Heros Fidei mortis formidine crudæ
Labitur! accendas Flammula Sacra Fidem.

18. GALLICINIUM.

Omni tuens *Lapsus* prædixerat antè futurum
Petrinum, quàm bis gallus in Urbe canat.
Cantat, ut apparent mediata limina noctis,
Et pituita cadit: deinde sequente vice
Excitus occultis radiis (prænuñciat almam
Lucem) aut orgasmo: Rusticum ad arva vocat.

19. POENITENTIA PETRI.

Alitis audito cantu, Dominoq; tuente,
Petrus *abit*, deflet Criminis acta, *tacet*.
Scilicet id *veniam* meruit, quod flere solemus,
Nec Verbi phaleris condecorare, *malum*.

20. ZACHARIAS BINOMINIS.

Jeremiam, Matthæus ait, vidisse Prophetam,
Qvis, Judæ pretio sanguinis optet agrum.
Hoc tamen illius reperitur Codicè *nusquam*.
Verùm Zacharias *tale quid* ipse *notat*.
Matthæum hos *studio*, dicunt, *posuisse vicissim*;
Nimirùm cunctos, *Spiritus unus* agit.
Vapulat à multis quoq; mneme *diffusa Vatis*:
In Sacris meritò decimus *αὐτὸς ἔφα*.
Oscitat hîc aliis rerum *Librarius* *expers*:
Supplet *Apocryphus* aut, *Traditione* locum.
Verbo: *Zacharias* aliàs dictus *Jeremias*.
Quod nisi seruetur pluribus heret aqua.

21. JUDÆ CONTRITIO.

Postquàm *spes fallax* pejus meditata fefellit,
Mox *surdo facinus* *verbere* corda ferit.

Anxiè

Anxietas *animum* stimulis transverberat *egrum*,
Crimen avaritiæ *damnat* & usq; *dolet*.

Non simulata fuit Judæ Contritio Cordis,
Quam Confessio-fat-factio digna probat.

Ast *orbata Fide Merito Christi* solidatâ,
Conficiens vires, *exitialis* erat.

Nititur his binis Contritio vera Columnis:

Sit Contritio spe, passio fulta Fide.

22. TRIGINTA ARGENTEI.

Cur Christus pretio levi, lapillis,
Obrizô pretiosior recoctô,
Se vendi patitur? monet tacendo
Mortales, ut ab *omnibus colatur*.

Nam triginta Sacros putando Siclos
(Quos unâ facie, repleta Mannâ
Urna condecorat; seqvente verò
Florescens gracilenta Virga Aaron)
Ter quinque Imperialibus notabis
Æquales. Cupis & videre Siclum?
Vel Romam propera Parisiasve.
Has jactant similesq; raritates.

23. HAKELDAMA.

Concio sacra *capit* Siclos, Paschalia *finit*,
Consultat, pretio Sangvinis arva *parat*.
Quæ figulina Opifex olim figulus, figulinam
Ad Portam tenuit: Nomine jam Syrio
Akeldama vocant: *Pretio quia Sangvinis emta*.
Quippè Sepulcris vix aptior ullus ager.
Proximus ad Procerum quoq; Mausolèa, cadaver
In cineres *vertit*, Sole cadente *semel*.

24. XENOTAPHIUM.

Cultior, Urbs, Populus statuunt commune Sepul-
Qvo Peregrinorū membra sepulta cubent. (crū,

*Puteolas Romæ tristes, Polyandria passim,
Et Solymis Agrum fertile cerne solum.
Corporis Exuvias pauper, Profelytus, ager,
Hic ferit ; & messem demetet ima dies.*

25. MORS PRODITORIS.

*Iscara Judæis, nobis Angina vocatur,
Anxius hâcce puer, Vir, juvenisq; perit.
Conjiciunt alii Judam evasisse Caducam,
Præcipitando se fune, dolore, metu.
Ast onus infelix est dedignata nefandum
Arbor ; nec Curru viscera pressa putes.
Hoc scelus, ipse Satan sceleratus strangulat hospes,
Præcipitem dando, Crimina strage luens.
Rumpitur allifus, defœdant viscera Saxum,
Extrahit hinc Animam premia cara Satan.
Innumeras mortes meruit, quia sponte peremit,
Proditione Hominem-Veri loqvumq; DEUM!*

26. PILATUS PROCURATOR.

*Frustrâ, puto, Titulo Pilatum Præsidis, ornant.
Procurator erat, ceu monumenta docent.
Non tamen ut Quæstor rationes reddidit Urbi ;
Cæsare delatum Jus habet ecce necis.
Quem meritò turmatim, damnatoria verba
Exeqveretur eis, Gens recutita rogat.*

27. PRÆTORIUM.

*Omne vix careat ductum Prætoze Latino,
Et Castrense quidem, Judiciale magis.
Magnifica Aula, Domus Procerum, Prætoria dicta,
Splendida Villa in agro, Diogenisq; cadus.
Ducunt manè statim Jesum ad crudele Tribunal,
Criminis accusant, ore feroce, foris :
Hic Diadema rapit, prohibens exolvere Censum :
Nec Doctoz Mosis ritè vocatus adest :*

Messiam

Messiam sese simulat, sobolemq; Tonantis:
Justitiamq; operum damnat, & ipse facit:
Indulget veniam peccatis: Sabbata rumpit:
Post tres Tempora dies ædificare valens.

28. INTERROGATIO JUDICIALIS.
Officium primum est, *Investigatio facti,*
Judicis. Ergo Rex, Tunc Pilatus, ait?
Regnum nempè meum *non est hinc, attamen est hic.*
Utitur inverso Curia nostra stilo.
Sancta rego Verbi Divini pectora sceptro,
Bella gero in Terris absq; cruore, prece.
Libertas est summa meis, parere. Petenti
Auxilium subito, Consiliumvè dare.

29. SILENTIUM CHRISTI.
Cur tot Christe calumnias iniquas.
Impuri labii tacendo temnis?
Divinum atq; silentium profundum!
Vinco voce filente duriores,
Veritatis ego fero triumphos.
Verborum phaleris egebo nunquam.
Peiores video meo futuros
Responso. Subeunda Mors relaxat
Impactos animo feros dolores.
Felix, qui faciendo digna laude,
Insultus patitur tamen malorum.
Exemplo monitus meo sequatur!

30. VESTIS CANDIDA.
Herodes tetricus, sed bonus arbiter,
Christum veste quidem vestiit albidâ,
Indignum tacitè supplicio docens.
Herodes placidus, sed malus Arbiter
Christum dedecorat dùm niveo Sagô,
Objecti insinuat Criminis inscium.

Verùm,

Verùm, *sensum*, Animi mens mala, *mysticum*,
 Herodis *minimè* sustulit impii.
 Romanis placuit perpetuò Color
Albus, quem *proprium letitiæ* volunt.
 Et solenne fuit *mittere Servulos*
 Indutos niveis vestibus. Ampliùs
Albus se comitem *præbet Honoribus*
Concessis. Etiam candidior stola
Victori dabitur Curia Olympicâ.
Albus prætereà sæpè Caducifer
 Apparet meliorum *bonus Angelus*.
Majestatis item candida *Regiæ*
 Semper Vestis erat. *Sacrificat* quoque
 Sic Aron redimens tempora fasciâ.
Christus Rex fuerat, *Pontificum Caput*,
Quin fons letitiæ, nuncius ætheris,
Libertatis amicus; decuit Color
Albus Pontificem Jesum Hominem-DEUM.

31. DIMISSIO REORUM EX VINCULIS.

Mosis Lex fuerat *misereri nescia* fontis,
 Nec Primi Patres, Populiq; Synedria Magna
 Jure Reum poterant absolvere Crimine grandi.
 Non tamen *hunc morem transmisit Curia Romæ*
 Judæis domitis. Durâ Regione Canopi
 Ut populum pressum Cœlestis dextra redemit
 Servitio immiti: *tunc hic primordia cepit*
Mos, aliàs sanctus *miserentis facta Jovæ*
 In mentem revocans, nisi *ceca licentia* quicquid
 Sæpè libet, faceret, vel *pœnâ absolveret* ingens
 Crimen. Quod fatis ostendit Crudele Tribunal.
 Hinc quia *Justitiæ Virtus Clementia juncta*
 Conservant cunctos Populos, & claustra vetustas
 Carceris obscuri, *celebrando Pascha reclusit.*

Non

Non tamen in Regem, atq; DEUM blasphemus, adul-
Raptores, Homicida, Veneni perfidus autor, (ter)
Compede, tristitiæq; domo malus hospes abibat.

32. SOMNIUM MULIERIS.

Audiit, arcanum, celebris probitate Pilati

Uxor, Consilium, quod rabiosa cohors
Pontificum meditata fuit; vel, publica fama,
De Christo passim, quod celebravit opus.

Audiit, imò Viro, quod Licitor, dixit in aurem:

Jam captum Christum, nocte silente, dolo,
Indoluit mulier, repetitq; cubilia tristis.

Dormit. Processus nox simulacra refert.

Nempè DEUS Jesum, noctu sub imagine Costæ

Sistit, & hortatur nunciet ista Viro:

Suggestu residens hunc noli Crimine falso

Condemnare Reum. Somnia diva time!

Si prius ergò Satan, Furiis agitabat Judam,

Talia quæ mittat somnia, nemo videt.

33. FLAGELLATIONIS RITUS.

Romano Dominum Pilatus more Columnæ

Loris (quam jactat Roma superba) ligat.

Quadraginta solet vicibus Judæa flagello

Cedere prostratum. Nescit iniqua modum

Cæde cruenta manus: concrefcunt Crimine pla-

Verna flagris, Virgis ceditur ingenuus. (gæ.

Heu Christum lacerant misere! omnia membra re-

Sulcat aculeolis miles arator iners. (tortis

34. CHRISTUS EXUTUS AD FLAGELLA.

Lictores alias, tunicas lacerasse minaces

Constat, & arctatæ solvere vincla manus,

Vestibus exutum dicit Sacra Pagina Jesum:

Mansuetus, patiens Verberis ille fuit.

Formina

Tormina liber homo patiendo immania vincit.
Dulcius est tantò dùm superatur onus.

35. CHLAMYS.

Tandem Carnifices defessi verbere anhelant,
Membra Macedoniâ veste cruenta tægunt.
Cogitur interea, ut spectet spectacula, miles:
Ecce prius nudus jam Chlamydatus adest!

36. COCCUM ET PURPURA.

Purpuream Chlamydem vocat hanc *solus* Joannes,
Quòd fuerit similis, vel *falso murice* tincta.
Purpura *littoribus* Tyriis; Coccum fruticetis
Nascitur, atq; micat rubeum splendente colore.
Inde Paludamenta *Duces, Proceresq; Dynastæ,*
Et Romani *Equites* gestant, ut Corpora læsi,
Quandò equitant inter fortes stricto ense Phalan-
Terrificos *latices celent*, animentq; feroces. (ges,
Purpura *Sanguineâ clarè nigredine lucet,*
Quam sibi ceu propriam *solus* gerit *Induperator,*
Aut cuius *meruit Virtus*, & summa Potestas
Munere dignatur tantò. *Æquat Purpura Sceptrum.*
Purpura *purpureo stillantem Sanguine Jesum*
Condecuit, *Regnis diademata, Sceptra, parantem.*

37. CHRISTUS CORONATUS.

Falsiloquos quondam gemmata Corona Deastros
Solos ornabat, vel simulacra Jovis.
Mox quod & Ara sibi sacrauit, & Enthea Virtus
Collustravit, idem hic irradiavit honor.
Veriùs ast *aurò meruisti* Christe *Coronam,*
Tu in Carne es nostrâ *Victima, Imago DEI.*

38. CORONA SPINEA.

Spinea ludibrium sævi crudele Corona
Militis, infligit *Vulnera, Christe, Tibi.*

Non

Non hanc Aurifaber Latro complectere *junco*,

Atq; *rubo* voluit: ceu pia corda volunt.

Scilicet in medio fruticeti *Lilia* florent.

Definit in *Spinis* dictio-cepta male.

39. JUDA SINE SCEPTRO.

Terrificis devicta fuit Judæa Quiritum,

Jus animarum jam *cesserat* Urbe *procul*.

Præfidium *ingreditur*, mittit Romana Ministros

Curia, Judæis *hiscere* vixq; licet.

Pontifices, Proceres Lictores esse putares:

Namq; simul *capiunt*, *damnat* uterq; Reum.

Prævia Cognitio *causæ* Capitalia Jura

Constituit *nunquam*: Claufula quando deest:

Hanc sibi Romani Prætores *jure* reservant,

Quâ vel *damnatur*, *solvitur* imò Reus.

Si lapidare licet blasphemum, frustra Pilatus

Obstet, quæis volupe est solvere Jura DEI.

Tollite, *judicium* ferte! Ironia Pilati.

Nec nobis quæquam perdere *jure* licet.

40. VANUS PILATI METUS.

Dignum morte nihil reperis: cur ergo Pilate

Tam metuis? *fallax*, *ambiciosus* eras.

Filius ille DEI, *Verus* DEUS est, *Homo* Verus,

Quem Tu Semihominem SemiDeumq; putas.

Exulet hincce *procul*, *procul* hinc commistio foeda

Seminis. Ille DEUS totus *Homo*q; simul.

41. GABBATHA.

Judicis *ante* *Domum*, in stadio propiore fuisse

Grande Tribunal, *Jus* editiore loco.

Sic Gabbatha Syris: sed Lithostrota Pelasgis,

Significant vario marmore strata loca.

Ergò metu Spartæ retinendæ Gabbatha Prætro

Scandit, & *immensum* mente revolvit *opus*.

42. LO

42. LOTIO MANUUM.

*Symbolum erat puræ mentis submergere dextram,
 Et sceleris vacuas fonte lavare manus.
 Sive domum redeant, comitentur funera, quicquid
 Judæi faciant, flumine membra lavant.
 Imò vovent lotis gentes manibus sua Vota,
 Rem sacram faciunt: Crimina mundat aqua.
 Christicolis etiam placuit mos; Atria Templi
 Fontibus ornabat candida prisca fides.
 Pauperies hodiè fontes tibi supplet egenos,
 His benefac, fies purior inde magis.
 Antè Pilatus, ait vestris subscribere verbis,
 Quàm statuum duris, abluat unda manus.
 Abluis heu lateres, animò famulante patrata,
 Exiguâ tolli Crimina posse putans.*

43. SENTENTIA DAMNATORIA.

*Solus Prætor atrox expressâ voce perorat
 Litem, condemnat Criminis innocuum.
 Conscribit Titulum, Liçtori fumere mandat
 Supplicium, demi de cruce membra jubet.
 Sed perit Exilio convictus Crimine, cuius
 Ossa Vienna, Animam fortè Gehenna tenet.*

44. JESUS SUB CRUCE.

*Bajulat ipse Crucem stimulis agitatus Jësus,
 Marmoribus renovat Vulnera strata via.
 More quidem Judææ humeris Reus aspera ligna
 Non gerit. Ifacus præiit ecce puer.
 Quin & conveniunt formis Crux atq; Tropæum:
 Hòc, Spolia ornatus miles opima tulit.
 Illâ, purpureus bona fert Cœlestia Christus.
 Grande Tropæû, Crux magna triumphus erant.
 Nempè Crucem Christus portat, Crux bajulat i-
 Ergò feramus, Crux tollet in alta, cruce.* (psum:

45. SIMON

45. SIMON CYRENUS.

Scilicet *Angaros* (famulos Regisve Ministros;

Dic Curforem hodiè) *Persia* vasta vocat:

Obvia qui fessi solvunt animalia aratro,

Cur? *ingratis* his cogere quemq; licet.

Sic *reducem* Solymas *angariat*, atra *Simonem*

Turba, ferat Domini protinus ille Crucem:

46. LOCUS CRUCIFIXIONIS.

Supplicio dignos Castris educere Moses

Præcipit; extra Urbem Martia Roma ferit:

Carnificesq; foris discretâ sede morantur,

Ut facilè observent nocte dieq; Cruces:

47. GOLGOTHA.

Militis in *montem* truculentia sæva *rotundum*

Devenit, malidum Sangvine, cæde locum.

Quem pius ordo Patrum *craniò* derivat *Adami*:

Frustrâ tamen. Veteres prima Sepulcra colunt:

Avolvendo petunt nomen *Golgotha* Syrorum

Philologi: multis volvit idemq; caput.

48. VINUM MYRRHATUM.

Matronas tacitus *Vinum* misisse putares

Myrrhatum Domino commiserante manu.

Non hîc *delicias*, nec *myrrhina* pocula quæras,

Quæ Sexus seqvior nectaris instar amat.

Myrrhatum Christo Lictor propinat *acetum*.

Ut vires redeant Corpore Myrrha datur.

49. DIES CRUCIFIXIONIS.

Pascha fuit; Pietate DEI mandata revolvat:

Ederat & Christus *dulcia* liba prius:

Traditione tamen placuit *postponere* Pascha,

Ac celebrare DEO *Sabbatha* Pascha simul:

50. HORA CRUCIFIXIONIS:

B

Nona

Nona fuit nobis, quando Crucifige tonabant:

Et *bis sena*, DEI, sustulit hora, crucem.

Gordius hic nodus, quem solvat tempora con-

Quadra nisi noctem dividat atq; diem. (dens,

Quatuor in partes Lucem totidemq; tenebras

Divide, & horas tres cuilibet adde. Satis.

51. POENA CRUCIS.

Decollat, lapidat, comburit, strangulat omnes

Judæus: nescit nomina sæva Crucis.

Supplicium Servile fuit Crucifixio dira,

Quâ Servos tantum perdere Roma solet.

Induerat Christus *Servilia Schemata* Servi:

Ut Typicus Serpens tollit ad astra caput.

Arbore Adam cecidit, surgit nunc arbore rursus:

Serpentisq; caput conterit ecce! DEUS.

Aspice quàm in medio pendet Terræq; Poliç;

Et Mediatoris de cruce munus obit.

Tandem *Sanguinei* cessat maledictio ligni.

Carnem Cloriste meam Tu crucifige precor!

52. MATERIA CRUCIS.

Quadruplici ligno Crux num fabrefacta? putatur.

Eripuit manibus *Cedrina*, parva mora.

Crevit in ingenio robusto, Augusta, quod olim

Lignum, Helene, reperit: rara ibi robora sunt.

Accipito quodcunq; voles lignum, obrue, (cedant

Aër, & tepor hinc) *secula multa* vires.

53. FORMA CRUCIS.

Forma Crucis compacta quidem; non simpla Quiri-

Decussata minus, vel *capitata* fuit. (tum,

Græcis Theta fuit ferale: T. ecce Latinum

Affixi Jesu, tabida terga tenet.

Tres

Tres apices Græcos pingunt *Cruce, Furca, Patibulum* :
Hos discas, fugient Furca, Patibula, Cruces.

54. PARTES CRUCIS.

Terna (docent plures) ligna hæc : *Antenna, Statu-*
Suppositus truncus constituere Crucem. (*men,*
Pegma Crucis fixæ medianum nempè Sedile,
Sublatum excepit sustinuitq; DEUM.

55. ALTITUDO CRUCIS.

Improbior stipes plerumq; arrectus in altum ;
Improbitas, odium si decumana Rei.

Hamanis cubitorum *quingvagina* patibulum,
Ex qvò *siderens*, Persica Regna, videt.

Non habuere Cruces aliàs sublime statumen,
Qvas *humeris* cæsus furcifer ipse tulit.

Legit & inscriptum *Titulum Speculator* avarus ;
Lictores poterant *frangere* crura ab humo.

Hysso imposuit *bipedali* miles acetum ;
Traxerunt *corvi* viscera, sæpè *canes*.

56. CRUCIFIXIO.

Funibus adstrictus duris cruciarius olim ;
Qvem posthac clavis figere moris erat :
Ut citiùs tubulis manaret sanguinis unda,
Qvam expectata diù Morta secuta fuit.

57. ELOGIUM DAMNATORUM.

In Titulo Titulum scribis malefane Pilate,
Damnando, qvi Te iudice, *justus* erat.

Impiùs *encausto* meruit, *carbone* notari,
Cujus vel *dorso, fronte* tabella micet.

59. TITULUS TRIPICTUS.

Mos fuerit : tamen hic Titulus *mysteria* prodit :
Hebræis jungens Græca, Latina simul.

Imas Hebrææ Lucas, *primas* Jöannes
Attribuunt: *medias* Græca, Latina tenent.
Nempè quod *Ebræos* primùm devicerit armis
Græcia: post tumidos *Roma* domârit atrox.
Græco Judæus loqvitur sermone, Pelasgus
Ebræo, Latius miles utrumq; sonat.
Rex fuerat Christus, Titulo mediante Tripicto,
Rex proclamatur. *Plaudite Terra, Polus!*

59. VESTES CHRISTI.

Delapsam *Cælo Tunicam*, accrevisse puello,
Vulgus opinatur. Virgo Maria fuit.
Molliculi *quinas*, alii *tres* mente suebant;
Frustrâ. Oriens *binâ* corpora veste tegit.
Interior *Tunica* est: ast exterior *Toga*. Belli
Tempore *Roma* Sagum. Pallia Græcus habet
Quin videas hodiè vestes sine pectine factas,
Quas fursùmversùm ferrea texit acus.
Talis erat Jesu Tunica. Et Galilæus eâdem
Incola pauperior Corpora adusta tegit.

60. VESTIUM CHRISTI DIVISIO.

Supplicii sævi vestes exactor acerbus
Expoliat Sontis, *dividit*, ense *secat*.
Quatuor ad minimùm constabant Pallia frustis,
Quatuor in partes miles & ipse *secat*.
In partes totidem *Tunicam* discerpere nolunt:
Namq; *infutilis* & *commoda* prorsus erat.
Ergò pares vitio, committunt præmia Sorti,
Infulsis fallunt tempora longa jocis.
Unica per totidem partes Ecclesia Mundi
Dividitur: Verbum fulget ubiq; DEI.

61. MOTIO CAPITIS.

Devis

Dives, egenus, iners, Proceres, fex turba, cohortes.
Iufultant nimitum Chrifte benigne tibi.
Exonerant labiis Sarcasmos, Scommata fœdis,
Suspendunt naso id, quod cruce pendet onus.
Auriculas afini, Capitis commotio, fingit:
Solutus quippe rudens auriculasq; movet.
Inde canis rabidam linguam fitientis adinstar
Ostendunt, latrant, gutture spurca vomunt.

62. LATRONES BLASPHEMANTES.

In cruce Latrones, empæctis associantur,
Christum Sannarum grandine sæpè petunt.
Alter at, ut vidit Sanctum sexcenta malorum,
Pectore constanti sic superasse, filet.

63. LATRO CONVERSUS.

Verius hic Latro Dismas, an Gesta vocetur,
Quæritur? Illi etenim fructa Sacella patent.
An gentilis item, vel num recutitus apella,
Annis ter decies, quas spoliavit anus?
Quid rapuit fugienti, in regna Canopia Joseph?
Noscere non multum talia vana juvat.
Pœnitet, ecce dolet, culpam ore & sponte fatetur,
Corde Redemptorem credit, adorat eum.
Orat nec sine spe, Fidei testatur amorem,
Dum socium pœnæ corrigit atq; monet.
Digna suis factis patienter præmia portat.
En Tibi Latronem Thejologumq; simul!

64. LATRONIS CONVERSI SUSPIRIUM.

Quæso memento mei, veniens Domine in Paradisum,
Talia proloquitur, *quæso memento mei!*
Oro memento mei, tua sum factura Creator,
Non operum Judex, oro memento mei!

*Hocce memento mei, tùm justificatio firma
Clauditur atq; salus, hocce memento mei!*

65. ACETUM REFOCILLATORIUM.

*Agricola, & Servus, miles potabat acetum,
In castris sitiens Dux quoq; sumfit idem.
Ludibrii causâ potiùs Latro præbet Jësu,
Quàm fungo madido tollat ut ore sitim.
Quin animam jamjam fugituram sustinet ægro
Corpore, quò sese sentiat ipse mori.*

66. CALAMUS HYSSOPI.

*De Calamo calamis multis pugnatur ubiqve,
Nec satis est notum, quid propriè calamus.
Pars Pilum dicunt, pars hastam cuspide tectam;
Decertant pilis nemo triumphat ovans.
Sed Calamum, doctos, Hysopi dicere caulem;
Hysopum Calamos suppeditasse putes.
Terris Judæis Hysopus surgit in altum,
Incola quem lignis annumerare solet.
Huic Latro cauli Myrrhatum infixit acetum,
Ore bibat sitiens ut moriente necem.*

67. PONTIFEX N. TESTAMENTI.

*Pontificis fuerat precibus sacrare popellum,
Exorare DEUM, sacrificare DEO.
Pontificis veri Christus benè munus obibat,
Orat, sese offert, Sanctificatq; suos.
Quæso Pater, dimitte scelus tam grande nefandum,
Et meritas pœnas! Nescia turba facit.
Nempè Tuam sobolem me ignorat: Dogmata Sacra
Nescit Evangelii: hoc extenuatq; scelus:
Ignorat comites pœnas scelerata propago;
Si totum non, tantum quæso remitte scelus!*

Fortè

Fortè meret veniam ignorantia, *crassa, supina,*
Quam dolor atq; fides concomitatur. Amen!

68. PARADISUS LATRONI PROMISSUS,
Christe priùs *juras* vehementer & ore faventi
Affirmas; plus *dans*, atq; *rogatus* eras.
Triste *olim*, mutas cum *hodiè*: Vox grata precanti.
Namq; *hodiè* quæ fit *gratia grata magis*.
Nec cruce pendentì fera Purgatoria monstras:
Sanguine purgato talia ficta nocent.
Affirmas: Hodiè Paradisi eris incola mecùm
Cœlestis, facies quo micat, ara DEI.
Dudùm terrestis Paradisi gaudia merfit
Diluvium; Mundum summa ruina manet.

69. ULTIMUM VALE.

Civica Testamenta facit moriturus Jēsus,
Heredes testes, Prætor & ipse manent.
Ille Tuus, Mulier, (*Matrem vocat, intima cordis*
Viscera ne rumpant) Filius esto pius.
Johannes aluit Matrem Jesuq; suamq;
Mater *naturam*, & connotat *officium*.
En proprias ædes propiori Numine tactus
Incoluit; doctus spernere pensa domûs.

70. QUERELA CHRISTI à DEO DESERTI.

Respice quæso Pater, *mediis cruciatibus* oro,
Definis ane DEUS, *definis* esse meus?
O DEUS! ergo Tuam Sobolem defendere *cessas*,
Et *flagrans* Patrio pectore *friget amor*?
Absit! chare Pater, solus Virtute potente
Me potes hisce malis solvere, solve rogo!

71. DESERTIO CHRISTI.

Hæc tria summa tenet, placidi desertio Christi,
In quem terribilis fulminat ira DEI.

Nempè DEUS Judex scelerum, vindexq; severus,
Imputat, infligit, retrahit omne DEUS.

Imputat humani generis soli omnia Christo
Crimina. Nam nunquam deserit ille prius:

Retrahit, Humanæ, Divina Idiōmata, Christi,
(Quatenus usum) quæ contulit Unio ei.

Unio firma manet semper: Divina retraxit
Naturæ Humanæ, proh dolor! auxilium.

Infligit pœnas æternas atq; caducas,

Quas anima est Jesu passa, jubente DEO.

Hic Patientia, sed Confidentissima lucet,

Æternas modico tempore, quæ patitur!

72. DESERTIONIS SUBJECTUM.

Totum etenim *Christum* patientem *deserit*: ast non
Totum Christi, seu quatenus ille DEUS.

73. SITIS CHRISTI.

Sanguinei fluxus, cruciatus, Vulnera, mceror,
Innatum humorem, viscera sicca, bibunt.

Ast mediis etiam Cordis penetralibus aret

Vivida Virtus, & faucibus ægra sitit.

Vix hoc protrudit sicco de gutture Verbum;

Heu sitio! Vestræ corde salutis opus.

74. CONSUMMATUM EST.

Jam morior felix: *hic terminus esto dolorum,*

Præmia promerui, distribuenda fide,

Diffugiant *umbrae*, cedant *Typus* atq; *Figurae*

Et *Dilectio*, *Spes*, surgat amica *Fides*.

75. ULTIMUM SUSPIRIUM.

En morior dilecte Pater, Tu Corpore læso

Discedentem animam, suscipe quæso, meam!

Trado tuis manibus, Tu *Depositarius olim*

Depositum cunctis reddito, moxq; mihi,

76. MORS

76. MORS SERVATORIS.

Serva timet Lachesis Domini perumpere Vitæ
Stamina; at *inclinat* protinùs ille *caput*.

Da mihi tam placidam, cùm venerit ultima, mor-
Non aliter cupio, da mihi quæso mori! (tem!

77. SOL IN LUCTU.

Cynthius in medio rutilus jam fulserat axe,
Tristis Horizontem vestiit umbra Soli.

Omnibus & populis Phœbi subdicitur alma
Lux, Terras *medio*, nox tegit atra, die.

Astrologi causam quæruni in corpore Luna
Opposito Soli: *Cynthia* plena fuit.

Mox alii *maculas*, *nubes* obducere *crassas*
Titanis faciem. Res nova ubiq; patet.

Deliquium patitur Sol, vultum obfuscat amœnum
Totum, tres horas, mœret & usq; gemit.

Scilicet hoc *facinus* nescit *spectare* nefandum,
Lætificos *radios* *abstrahit* orbe suos.

Niliacas Urbes scimus latuisse tenebris:
Cùm presso *Populo* luxit *amica* dies.

His tenebris, Procerum tenebras sub pectore cæ-
Et cæcas mentes, Christe, videre doces, (cas,

78. VELI RUPTURA.

Atrium adit Templi *Populus*: *Sanctumq;* *Sacerdos*
Sanctum *Sanctorum* aut *Summus* adire potest.

Fecit *terna* quidem *Moses* *Aulæa* corusca;
Sed *Salomon* posuit, maxima *Vela* duo.

Interius ruptum! riguit cernendo *Levita*
Omnis, Pontifices hâc novitate stupent!

Nempè *Typis* *priscis* præfigitur ultima meta:
Cælica jam nobis *omnibus* *Aula* patet.

79. TERRÆ-MOTUS.

B 5

Non

Non Solymæ solùm qvatiuntur culmina motu,
Quelibet & Regio nutat in orbe malo.

Hinc patet *ira* DEI, Patientis summa *Potestas.*

Doctor Evangelii corda movebit ovans,

80. SCISSURA PETRARUM.

Saxea Corda tacent Procerum, Præcordia dura,
Mundo concusso, *Saxea corda tacent.*

Inclamant Lapidés (sic Jesus dixerat olim)

Pro Domino tacitè tristia verba sonant.

81. MONUMENTA APERTA.

Tandem *certatim* referant monumenta Cavernæ,
Exceptura *DEI* Corporis *Exuvias.*

Agnoscut Dominum latitantes pulvere Terræ:
Hujus enim claves dextera mortis habet.

82. SANCTI RESURGENTES.

Corpora Sanctorum, Christo moriente, resurgunt,
Qvos tumulis, nôrant jam rediisse, pii.

Sanctis apparent, qvos mors animavit Jësu,

Æthereas sedes, hoc præeunte, *petunt.*

83. CIVITAS SANCTA.

Tot scelerum mater, meretrix, & lerna malorum.

Sanctæ Urbis Titulam vix meruisse potest.

Sancta fuit quondam; *Cœlestia Dogmata, sanctè*

In Templo, pueros sanctificare, docens.

84. TUNSIÓ PECTORIS.

Prodigiis tantis victi sua pectora tundunt:

Qvæcþ metus reticet Crimina, *dextra sonat.*

Fons *ibi* peccati *latitat* sub marmore Cordis,

Qvod Confessio mox *frangere* vera *potest.*

Qvandò licet Legis feriamus pectora pugnibus,

Ne nos *justa* DEI *dextra* *gravis* feriat.

85. CRURIFRAGIUM.

Lenta

*Lenta Crucis fuerat mors; Compensatio pernix,
Fractio, quam, crurum, rumpere iussa fuit.
Pungunt ossa magis confracta, & cruribus almus
Succus inest Vitæ, hunc surripe membra ruent.
Rariùs adjecit Crucibus, fera Roma, cruentis
Talem mantissam: Crux fatis atra fuit.
Sæpiùs ast Lictor Judæus frangere iustus:
Ne *Sol*, suspensi cerneret ossa, cadens.
Integra, ait, Christi morituri crura, Propheta;
Agnò Paschali frangere crura, nefas.*

86. MILITES CRURIFRAGII MINISTRI.

Carnifices habuit nullos Res-publica quondam:
Militibus semper perdere jure licet.

87. FORAMEN PETRÆ VIVENTIS.

Nomen erat Pediti, Longino, fortè Latinum,
Examine iste malus vulnerat ecce *latus*.
Cuspide cor petiit: Cur pungat miles utrumq;
Quare Pictoris frustra mamilla dolet.

88. FONS VITÆ.

Tabificos, Medici, latices sub pectore quærun.
Aut, quam, suffundit capsula Cordis, aquam.
Mortuus ille quidem, *Vite duo flumina fundit*:
Imò uno tubulo *Sanguis & Unda* fluunt.
Fluxus nempè *duo sacra Sacramenta* figurat.
Janua Cœlestis jam reſerata patet.

89. JOSEPHUS AB ARIMATHÆA.

Nomen Arimathiâ patrium gestabat Jōseph
Nobilis, & Solymis quippè Senator erat.
Magni Concilii *nunquam* captabat Honores
Promeritos: voluit vivere, & esse *Pius*.
Discipulus *tacitus* deposcit membra Magistri,
Disvadent alii frustra pudore, metu.

90. POL-

90. POLLINCTURÆ MORTUORUM.

Spiritus Æthereas postquam delatus ad aulas,
Pollinctor calida frigida membra lavat.
Ungit odoriferis malè olentia, *condit* amomis;
Spem, surrecturo corpore *nutrit* odor:
Involvit tandem spirans opobalsama Corpus,
Albis fasciolis, crura, manusq; *ligat*.
Hic mos Judæus Pharias pervenit in Urbes.
Sic Christus tumulo ritè sepultus erat.

91. MIXTURA MYRRHÆ ET ALÖES.

Exeqviatores veniunt Nicodemus Jöseph:
Alter *consilium* suppetit, alter *opes*.
Libras ille tulit Casiæ, Myrrhæq; liquoris
Centum: *nummi* non *ponderis* esse puta.

92. LINTEAMINA SEPULCRALIA.

Bina fuit Christo *vestis* dum Munere functus,
Vitâ defuncto, tum quoq; *bina* fuit.
A pedibus tumidas ad fauces verbere crebro
Discissâ corpus *Sindone*, tectus erat.
Post *Sudariolum*, *faciem* subtile cruentam,
Vel cubitum longum, textile *textit* opus.
Octo pedum videas hodiè *Sudaria* Christi!
Integram (mirum!) *Sindona* cerne stupens.

93. LOCUS SEPULTURÆ.

Sanguine Regali, natum de stirpe Davidis,
Cur non Urbe David, triste cadaver human?
Cæsaris, imò *Ducis* Cineres, *Vestalis*, in ipso
Condebat *medio* prodiga *Roma foro*.
Cur extra *Solymas* Christus crucifixus, & Horto
Ponitur? *Urbe* sacrâ *dignior hortus* erat.

94. HORTUS FERALIS.

Struxit

Struxit pone vias, hortosq; Sepulcra vetustas:
Mortalis mortis quo moneatur homo.
Hinc Horto Christus voluit requiescere: Mortis
Principium æternæ, finis & Hortus erat.
Nimirum *cecidit* Paradiso Primus Adamus.
Uberior fructus semine surgit agri.

95. SEPULCRUM CHRISTI.

Quinq; pedum Cryptâ requievit nobile Corpus,
Artificis qualem *dextra* ligone *cavat*.
Non lapidi *incisam* (ceu magna volumina) credas,
Constructa & petris concamerata fuit.

96. SAXUM SEPULCRALE.

Longa Caverna fuit cubitos sex, lata quaternos
Distinctisq; patens structa foraminibus,
Istis detrusum *clausurunt marmore* corpus;
Ne fur transportet, bestia sæva voret.
Obstruitis Cryptæ, sed frustra foramina Saxo:
Corpori enim Christi *pervia Saxa* patent.

97. CUSTODIA SEPULCHRALIS.

Pontifices, Proceres, & Relligione, Pilatum,
Neglectâ, rogitant: commodet arma sibi.
Pergite vos, inquit, vestris Custodia Templi
Consiliis vanis pareat. Ite domo!

98. OBSIGNATIO SEPULCHRI.

Obsignant tumuli fauces custode relicto,
Ut *pejus* lateant *pessima facta* diu.
Militibus metuunt, & suspicione laborant,
Ne rursus Dominum *vendat avara* manus.

99. FUNERIS DOMINICI COMITES.

Funeris an comites Mariæ? sed prorsus amaræ.
Has tueor, lacrymor: gutture verba silent.

100. ULTIMUM OFFICIUM.

Officium

Officium lugubre bonis præstare tenemur :

Quippè *dolor levior mutuus* esse solet.

Ante Maria sedet Sobolis gemebunda Sepulcrum,

Dilectum qverulo, proh dolor! ore dolet.

Christe Tuo miserum me gratis Sangvine purga :

Tu, Tibi quò placeam, da Pietate, Fide!

GRATIARUMACTIO.

Flaminis Aura faves! faxis Vindemia verna

Exhilaret tristes, *Flaminis Aura fave!*

Flaminis Aura fave! tantas Tibi pectore grates,

Quantas concipio, *Flaminis Aura fave!*

R. *Schamai in Pirke Avoth Cap. 1.*

אָמַר מֵעַט וְעַשָּׂה הַרְבֵּה

CYNOSURA CHRISTIANÆ VITÆ.

1. *Incipe* cum Precibus, *medium* decurrat ut ultrò,
Re benè *confectâ* solvere Vota, memor.
2. *Christicola* es? *specie Pietatis* sperne placere
Mortali: *vindex cor videt*, ora *DEUS*.
3. *Semper* honesta geras, contingat vivere quam-
Obscurò; in tenebris cernit, ubiq; *DEUS*. (vis
4. *Colloquium pravum*, *nugas*, non *crimina* ducas
Parva: *DEUS* *verbum ponderat omne* tuum.
5. Ah *cave contempnas alios*, tibi plura deesse
Nôris: *perfectus vivere nemo* potest.
6. *Vi nulli noceas*, quia vis *subitaria* transit:
Et sævos, *Cœli gratia* nulla manet,
7. *Otia*, peste *nociva* magis *fuge*, *spon*te labora:
Otia, *foeda* docent, *dedecus* inde trahunt.
8. *Perficies facilis*, *consuetus* honesta *seq*uendo,
Consuetudo mali *fir*mior, atq; *boni*.

2. *Veste*

9. Veste, Cibis, potu *medium retinere* memento;
Nam secus, *inflatus, fur, vel egenus eris.*
10. Luxuriam, scortum fugito, vis esse beatus:
Odit enim Sanctus talia spurca DEUS.
11. Sume parem: credas aliàs te Lerna malorum
Ambiet. Illa tibi par, *Pietate gravis.*
12. Pigritiam, luxum, cautus subducito Natis:
Educat exemplò plus Pater ipse suo.
13. *Sarcina Pauperies* cum sit, cave prodigus esse;
Esuries cupiens: *utere quæso bonis.*
14. Falsus *adinstar* opes *Corvi* corradere noli:
Sæpè heres *ludit*, dum Pater igne *gemit.*
15. Officium præstet tibi, Te præsentem, fidelem
Vix omnem reputa; Cur? quia corde nocet.
16. Nominis obtrectatorem, tua *maxima laus* sit
Spernere: fel sapiunt verba, venena vomit.
17. Invideas *nulli* Spartam, quam Gratia *Cæli*
Confert: proq; *cibis, tegmine* psalle DEO,
18. *Defectus* Socii *nôris*, cave prodere cunctis,
Argue clam potius: *labile crescat Honor.*
19. Sis memor æternum *Benefacti*, solvito grates:
Ædibus ingratis imminet *Axe malum.*
20. Mundus ubiq; dolis immundus abundat ini-
Tu *nulli noceas*, sed cave *nemo tibi.* (qvis:
21. Verba prius *irruina*, discernens tempora, sedes.
Verba fluunt, tamen his *mors cita, vita latet.*
22. *Quæ semper* præstat secreta *tacere*, taceto:
Si loqueris, vulgi, si *taceas tua* sunt.
23. *Quæritur* insipiens quare tam *multa* loquatur?
Cor habet in labiis: Corde *Sophos labium.*
24. *Consule* facturus quid; *serò* pœnitet acti:
Inverso faciens ordine, *damna* feret.

25. Er-

25. Erras? *cede statim* placidus meliora docenti:
 Errorem monitus qui fugit, ille sapit.
26. *Disce prius, vel multa pati, sumpturus* Honores:
 Sic DEUS atq; Homines præmia magna dabūt.
27. *Rixas declines, aliquis si injurius in Te:*
 Vindictam *Judex sumat, & ipse DEUS.*
28. Num bonus anne malus, quando benefeceris
unquam
Ne rogita: mutent cum benefacta malos.
29. Sint alii quod sunt; Tu sis quod es: alter Ho-
 nore
 NĪ DEUS attollat, *protinūs* ecce cadet.
30. Ipse *Usus* Rectæ Rationis, verset *habenas*
Ire, quæ præceps in mala mille ruit.
31. Tu, quicumq; *mones, minitantem* sæva *Catonem*
Exue: Cor *durum mollia* verba domant.
32. Cautus *Amicitiam colito, vel contrahe nunquã:*
 Crede mihi *sanctum* nomen Amicitia.
33. Utile, *verborum* placidum condire *lepore*
 Colloqvium: quare sint *sine sale* joci.
34. *Redde cuiq; suum, quod Jus, Natura, reposcunt*
Recta quidem: fatis est, *Ethica* plura docet.
35. Ô DEUS, *alme Pater, Fili, cum Flamine Sacro,*
Sancta Trias, gressus dirige quæso meos!

”
 בשכמלו:

LIPSIÆ,
 LITERIS VIDUÆ CHRISTOPHORI
 UHMANNI.

Aug V 63

ULB Halle

3


004 087 178



Sb

VD 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

2
S VITIFERA
VIRENS,
EST
CRU-
XUS,
ERITORUM BO-
UNDANS,
VA, HAS
AS PRIMITIAS,
A LÆTUS LITERA-
TOR, DEVOTA PO-
M POETICA
A NU,
CALAMITATIBVS VIRENTE,
perpsit
SCULTETI,
garus.
DC. LXXVIII.

